



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiæ Theodorianæ  
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo  
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiæ  
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

**Horrion, Johann**

**Paderbornæ, 1616**

Capvt II. Quanti Vvestphaliae ingenia fecerit D. Carolus Magnus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14243**

tis, & expeditis abs te discendi præfidijs comparatis, sine  
quibus nostri maiores tanta sunt in ihs ingenij, & laborum  
contentione verlati.

## C A P V T II.

**Quanti VVestphaliae ingenia fecerit  
D. Carolus Magnus.**

**S**Vnt enim ita ferè comparati præstantes ani-  
mi: citò arripiunt, quæcunq; ad veram laudem, de-  
cusq; pertinent, sibique turpe ducunt semel conspec-  
ctam in pura luce veritatem mediocri ardore com-  
plecti. Neq; eò contenti, simul cum veritate, omnia per-  
sequuntur, atq; appetunt præsidia & adiumenta veritatis.  
Vix Christiana veritas VVestphalis illuxerat, cùm ita non  
eius modò, sed etiam liberalium artium quarum illa comi-  
tatu plurimum gaudet, & opera vtitur, amore sunt capti,  
vt breui Carolum Magnum non magis bellicæ virtutis,  
quam politæ, pacatæq; doctrinæ peritum, & acrem æstima-  
torem, in eam spem adducerent, nulli cæterarum, quæ in  
eius essent imperio, gentium, hanc sapientiæ, & eloquentiæ  
gloria inferiorem futuram. Nam cùm per id tempus inter  
suos, & Orientalis Imperatoris liberos nuptias coniunctum  
iri confideret, optaretq; religiosissimus Princeps uti  
hac affinitate ad ytriusque Imperij Ecclesiæ certa ac stabili  
inter se concordia vinciendas, neq;, in tanta populorum,  
qui ei parebant multitudine, viri eruditæ deessent ac diser-  
ti, quibus id negotium cùm dignitate mandari posset, ta-  
men eam habuit opinionem ingenij & industriae nostro-  
rum hominum, vt illos potissimum tantis rebus sustinen-  
dis, atq; tractandis idoneos esse iudicaret. Neque verò  
vnum duntaxat sibi ex eis legatum delegit (quod tamen in  
gente

[Krantzi<sup>9</sup>  
Metrop.  
I. i. c. 2.]

gente præsertim admodum nuper C H R I S T O conciliata perhonorificum fuisset ) verū in VVestphalia quoddam Orientalium Oratorum seminariū instituendum putauit. Itaq; ijs tabulis, quibus primam in VVestphalia Episcopalem Ecclesiam Oshaburgi collocat, diligenter sanxit ne ynquam in ea Latinarum, Græcarumq; litterarum studia intermitterentur, quod inde, conciliatis aliquando nuptijs, potissimum sibi placeret, quandocumq; ex vſu, & dignitate Reip. foret, legatum in Orientem decernere. Quare prudentissimus Imperator satis ostendit, quid jam tum sibi de VVestphalorum ingenijs polliceretur, quos primū efflorescentes arbitraretur, in luce ipsius facundiæ, omnisq; liberalis Scientiæ inuentricis Græciæ, ijs ipsis artibus, quas illa maximè venditare solet, totius Occidentalis imperij dignitatem tueri, & illustrare posse. Neque verò Carolum fefellit opinio, quanquam enim illud eius de nuptijs consilium Græcorum leuitate non processit, non tamen ideo destiterunt ynquam nostri homines vſq; eo præstanti labore ad summam eruditioñis gloriam eniti, dum, quorum gratia Carolus illustre linguarum gymnasium condiderat, subtiliorum quoq; disciplinarum publicam sedem aliquando mererentur.

## C A P V T III.

Ante, & post Academias conditas ē  
VVestphalia egregios sapientiæ  
magistros prodijſſe.

**I**D quām maturē sint promeriti vel ex hoc licet intelligi, quod cūm cæteras ferè gentes, cūm primum ad Christiana sacra, ciuilemque cultum traducuntur, complures annos exterorum magistrorum disci-

B 3

plina

